

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

MEDICI PRACTICI
OFFICIIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI

DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM,

PRO

DOCTORIS LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HO-

NORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS

IN ANTIQUISSIMA

ET CELEBERRIMA UNIVERSITATE

VINDOBONENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Fabianus Ulrich,

Bohemus Baernwaldensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Universitatis
die 4. Junii MDCCCXXXI.

Vindobonae,
ex typographia viduae Stöckholzer de Hirschfeld.

Nulla vitae pars — vacare officio potest, in eoque colendo sita vitae est honestas omnis, et in negligendo turpitud.

Cic. de off. lib. I. cap. 2

C E L E B E R R I M O

A C

D O C T I S S I M O

DOMINO DOMINO

Clementi Schwarzer,

ARTIS MEDICAE DOCTORI, ARTIS OBSTETRICIAE ET OPHTHALMIATRICES MAGISTRO,
CAES. REG. APOST. MAJESTATIS CONSILIARIO,
MEDICO STATUS MILITARIS SUPREMI
ORDINIS,

ARTIS OBSTETRICIAE THEORETICAE ET PRACTICAE,
MORBORUM GRAVIDARUM PARTURIENTIUM, PUERPERARUM ET NEONATORUM IN ACADEMIA CAES. REG.
MED. CHIRURG. JOSEPHINA, PROFESSORI
PUBLICO ORDINARIO, PERENNIS
DELEGATIONIS REI MEDICAE
CASTRENSIS ASSESSORI.

V I R O

SCIENTIA, ARTE, HUMANITATE

AEQUE INSIGNI,

FAUTORI OPTIMO

PRIMA HAEC IN LITERIS CONAMINA

CEU

PERENNIS VENERATIONIS CULTUSQUE

MONUMENTUM

OFFERT

devinctissimus
Auctor.

P r o ã m i u m .

Arduam sane rem adgrediuntur Medicinae Candidati, qui studiorum cursu vix absoluto, antequam artis medicae praecepta, ex praelectionibus hausta, multiplici usu propriisque observationibus confirmassent, atque, ut ajunt, in succum et sanguinem convertissent, thema aliquod e vasto medicinae campo magno doctrinae adparatu pertractare conantur. Quare plerique, omnibus, quae propria experientia praebet, subsidiis destituti, ad alios confugere, in eorum verba jurare atque ita aliena opera pro suis venditare coguntur. Olim quidem ejusmodi compilationes non minus laudabiles erant quam utiles. Quum enim permultae artis medicae materiae aut in variis libris dispersae, aut alta voluminum mole consepultae laterent, non erat abs re, easdem e tenebris eruerre, singulas singulorum observationes conquirere, easque in unum corpus systematice redactas, pub-

lici juris facere. Sed fontes illi, quamquam uber-
rimi, jam adeo sunt exhausti, ut hodie Medici-
nae candidato, nihil aliud restet, quam actum
agere et crambem, ut ajunt, recoctam adponere,
aut novi aliquid excogitare.

Horum utrumque ab indole mea alienum es-
se animadverti, quum illud non sine aliqua im-
pudentiae labe fieri possit, hoc magnam exigit
temeritatem et audaciam. His difficultatibus cir-
cumventus, quasi inter utrumque viam inire statui,
talemque materiam pertractare, quae, licet non
sit nova atque inaudita, tamen a paucis adhuc est
adumbrata. Animadverti enim, in tanta librorum,
qui ad artem medicam pertinent, copia vix unum
alterumve mentionem facere de officiis medico
praxim adeunti observandis. Quae itaque aut a
Clarissimis Dominis Professoribus oretenus tradi-
ta memineram, aut per lectionis decursum hinc
inde adnotaveram, paucis pro ingenii mei tenui-
tate adjectis, in unum quasi fasciculum collegi,
quem benevolentiae atque indulgentiae lectoris
commendo.

Dabam Vindobonae 24. Maji 1831.

Auctor.

I n t r o d u c t i o.

Juvenem medicum praxim adgressurum certe quam plurimum juvat ea nosse officia, quibus satisfacere debet, ut scientiae, quam profitetur, dignitatem pro virili augeat, famae suae consulat et generis humani salutem promoveat. Neque sine hac officiorum suorum accurata cognitione idoneus erit ad labores et negotia status sui rite obeunda et perficienda, neque muneri, quod suscepérat, egregie satisfaciet, neque cum laude et sui commendatione in humana versabitur societate. Gravia autem et multa sunt officia, quae medico injunguntur, et ad quae implenda obstringitur; ita tamen inter se cohaerent, ut sub unum quasi conspectum sisti atque in quatuor classes redigi valeant. Observandum itaque erit, quid medicus *sibi ipsi*, quid *arti suae*, quid *aegrotis*, quid *collegis suis* debeat, qua ratione his officii cum sui artisque, quam exercet, commendatione, satisfacere possit.

I.

De officiis medici practici erga se ipsum.

Quod officia erga se ipsum adtinet, medicus inprimis vitae integritatem et viri boni famam prae se fe-

rat est necesse. Nemo enim, nisi forte insaniat, incolu-
 mitatem suam commissam velit homini, non dico, ne-
 quam, sed de cuius probitate ac fide vel minima du-
 bitatio moveri possit. Sed quid ego multis verbis utar?
 satis est *Hippocratis* libros vel leviter percurrisse, ut quis
 intelligat, quam saepe et graviter vir sapientissimus
 Medicinam professuris religionem Deorum immorta-
 lium, honestatem vitae, morumque integritatem com-
 mendet. Nam praeter memorabilem illam de purga-
 tione morali lucubrationem, in qua ipse non tam me-
 dici, quam philosophi moralis et viri sapientis munus
 sustinens, a medico pravae mores, avaritiae labem et
 effraenatas animi cupiditates exulare jubet; cui maxi-
 mam admirationem non moveant ea, quae in libro de iure
 jurando tradidit? Mirum, quantum in eo pietatem et
 reverentiam erga Deos commendat Medicinae cultori-
 bus, quibus mandat, ut, nisi divino numine invocato,
 aegros curandos non adeant. Quoties autem vir ille
 magnus conditionem eorum, qui studio tam arduae
 scientiae operam suam consecrant, diligenter expendit,
 toties monet, una cum scientia praeclaros mores esse
 conjungendos. *Habeant, inquit, doctrinam, bonos et gene-
 rosos mores.* Intelligebat enim vir prudentissimus, me-
 dicae facultatis, per quam homines, publicae salutis
 praesides constituti, ad Deos prope ipsos accedere vi-
 dentur, dignitatem omnem esse interituram, nisi ad
 illam exercendam homines probi ac bene morati ad-
 moverentur. Intelligebat, medici improbitatem nemini

non fore perniciosam, et magis, quam morbum infestam ac metuendam. Huc etiam pertinet, quod Angelus medicus *Hamilton* in regulis praxeos medicae asserit, quod ipsi haud arrideat in excogitandis speculationibus occupari, et modo principia Aristotelica, modo anatomica, modo chymica, modo mathematica modo mechanica suae structurae hypotheticae fundamentum adoptare, sed praeter alia innocentiam, integritatem et suavitatem morum exercere, quae notae etiam characteristicae sunt, quibus verus Medicus ab empiricorum turba distinguitur.

Medicum enim verum non solum solida scientia ac securi peritia, sed etiam in toto suo munere, prudentia, dexteritas, conscientia et sinceritas probant, ne histrionum more, garrula ac nugaci lingua, nec non vestitu pomposo innocentes et honestas mentes decipiat, ideoque agyrtam potius, quam virum probum, cui in arte credendum, prae se ferat.

Morum vero integritas jam ideo in medico adeo desideratur, quia nimis vulgata aevi nostri iniquitas et imprudentia eo devenit, ut juxta *Bohn* *) *nemo magis quam medicus, se suaque facta cujusvis censurae submittere adigatur*. Bina autem vitia reddunt medicum maxime contemptu dignum, nempe vitae libertas et ebrietas. Medicus liberiori vivendi rationi indulgens non raro male apud homines audit, aegrorum amittit fiduciam, multis suspectus habetur, et, si medica-

*) De officio medici clinici et forensis part. 1. c. 4. p. 45.

mentum ab eo praescriptum non praestat desideratum effectum et mali pertinacia augetur, certo certius ejusmodi medico eo citius error quidam adscribitur, licet omnia ad scientiam adornaverit. Fugiat igitur Medicus practicus ceu pestem vitam dissolutam vel jam ideo, quod praxis ejus medica inde periclitatur. Censet Aristoteles *) primo libro de re publica, temperantiam necessariam esse artifici, quod continens ac sobrius longe praestantius suo fungitur munere, quam intemperans ac libidinibus ardens: quanto autem cum majori periculo tractantur hominum corpora, quam lignorum, lapidum, ac metallorum, circa quae versantur fabri; tanto magis oportet medicum in sobrietate eminere, a corporis obsequio indulgentiaque discedere et voluptatem tanquam labem aliquam opprimere, ne apud aegrotantem incontinentiam aliquam prae se ferat, quod, quanti dedecoris, et quam odiosum medicum reddat, clarius est, quam ut exponi debeat.

Maxime medicum ornat *humanitas*, ille nobilis animi sensus, quo aliorum miseria movemur et ad eos juvandos impellimur. Quam igitur et medicus practicus possideat necesse est. Nemini enim, quam medico, tot offeruntur occasiones miseriam sublevandi, solatio aegrorum animos erigendi, consilio juvandi, quae fontem sistunt, unde gaudia emanant purissima,

*) Arist. lib. 1. politic. c. 8.

quae nullis Indiae thesauris emi possunt. Medicus benignus, humanus, comis aegrotis aliisque sublimioris naturae homo adparet, virtutibus splendens, quae generi humano maximo sunt decori, ejusmodi medicus nullum negligit, eodem semper animo pauperum frequentat casas, quo divitum visitavit aedificia. Ad minima quoque aegrum sublevantia adtentus illius fiduciam et favorem sibi comparat, rem in praxi maximi momenti, a qua felix saepe medelae successus dependet. Inde vero minime sequitur, ut medicus inepta animi mollitiae seductus ad aegrorum lectum nimis facile eorum quaerelis adficiatur, quod animum ejus constantem, qui multis in casibus adeo necessarius est, frangeret eumque impediret, quo minus ea ageret firmitate, in qua saepe aegri salus est posita.

Medicus, qui multum circa aegrotos versatur, officisque suis ad amussim satisfacere studet, non raro aliis inserviando sanitati et vitae commoditati suae multum detrahit, ipse in morbum incidit. Tum vero sui ipsius conservationis officium ab eo exigit, ut alios quoque medicos consulat.

Non raro enim medici aegrotantes admoniti proverbio: *Medice cura te ipsum*, viribus suis nimis confidentes, aut morbum parvi habent, eumque negligunt, aut statim nimia medicamentorum farragine adhibita cum cum impetu detrudere conantur, neque omnes circumstantias in semet ipso adeo bene pensitant, quam in aliis. Non possum non verba Celeberrimi Maximi-

liani Stoll circa hanc materiam adducere, qui *) scribit: „Novi, quam longe aliud sit, intelligere morbum in alio homine visum, intellectumque rite consignare, atque item aliud, eundem ipsummet experiri, si, qui aegrotat, medicinam calleat, et suam ipsius aegritudinem dignoscere, de ejusdem intensione, causis, eventuve judicium justum ferre, et medicinam opponere non tumultuariam, quamve ratio suggerat, non pavor. Certe non facile quemquam vidi, qui inconcinnius, et ad formandam justam diagnosin ineptius referat, quam plerumque ipsemet artem medicam professus soleat ad alium de suo ipsius morbo referre, si quando seriam collegae opem implorat. Novi non paucos, qui pessimam sibimet medicinam fecerant, et quosdam etiam, qui funestam, in re non abstrusa, nec difficili, ubi aliis omnibus profuissent, praeterquam sibi.“

Praecipue vero grassante aliquo morbo contagioso omnes adhibeat cautelas, quibus se a contagio defendere valeat, hac ratione enim et suam tuebitur sanitatem et contagii propagationem impedit.

II.

De officio medici erga scientiam.

Cujusvis, adeoque etiam practici medici est, dignitatem et altiorem perfectionem scientiae, quam proficitur, promovere. Non sufficit, ut medicus, in quan-

*) In Ratione medendi parte sec pag. 7.

tum fieri potest, perfectam cognitionem rerum ad praxim necessariarum possideat, desideratur quoque, ut in praxi ipsa ulterius per omnem vitam se perficiat, cum hucusque tantum fundamenta jecerit ulterius firmanda et extruenda. Ardua et aspera via ad sublimes Aesculapii fores ducit, quae ab ignavis haud unquam tanguntur, aut certe frustra pulsantur. Juvabit in hunc scopum ea relegere, quae et in praelectionibus et in clinico instituto ad aegrorum lectulos sibi quisque notavit, ea denuo scrutari et iteratis observationibus subjicere. Sic strenuum simul morborum observatorem agens opiniones suas emendabit et multa, quae minus clara videbantur, innotescunt.

Summopere vero optandum esset, ut medici practici casus in artis exercitio occurrentes, omnibus et singulis circumstantiis junctis adnotarent, talesque morborum historias perfectas cum publico, ut augetur utilitas, communicarent. Tales observationes, saepius repetitae, si simul subjectum, quod aegrotat, et morbus, quo laborat, probe fuerint cogniti, nec non ea, quae opem vel etiam noxam adtulerunt, accurate adnotata, utique ad rectam morborum diagnosim et ad dextrum eorundem tractamen maximam habebunt utilitatem. Ex ejusmodi genuinis, sobriis observationibus ab omni hypothesium amore liberis in omnem scientiam medicam praeclara redundaret utilitas, inde nimirum, quid ars valeat, et qualis esse debeat, quasi e sancto quodam libro haurire liceret. Antiquissimus

medicorum princeps, Hippocrates, illustrissimo exemplo in monumentis suis praeivit, ad progressum enim artis augendum magnopere commendabat observationes in praxi factas cura et diligentia conscribere. Practicorum igitur et nostri aevi esse censeo, optimam quae praestantissimus ille medicorum parens calcavit viam ulterius prosequi, nec unquam desistere ab observationibus accurate diligenterque instituendis.

Neque insolita et nova majorem quam vulgaria et quotidiana attentionem merentur, neque minutissima, in quibus multum saepe momenti situm est, negligenda, imo eodem, quid quod subtiliori quandoque ac grandia, examine digna sunt. Praeclare in hanc rem celeberrimus *Fridericus Hoffmannus* dicit: *Nos certe non facile casum quemdam praetermittimus, quia vix ullus incidit, ex quo non quippiam adhuc addiscere possimus, quum ad minimum, quod jam inventum et cognitum fuit, exinde confirmetur.* Cum sit vita brevis ars longa, experimentum difficile, atque Medicina non unius hominis, sed potius generis humani inventio dicenda; ex veterum et recentiorum scriptis ea, quae observationis et experientiae sunt, ad cognitionem nostrarum suppellectilem augendam, summa sedulitate depromere oportet.

Novi morbi, si non fiunt, certe observantur, aliquando novae eorum observantur causae aut iidem morbi, in diversis subjectis genium variando, variant etiam medendi rationem: Fallit memoria, fallit iudicium, nisi cou-

sultoribus ejusmodi multis excitatum ac suffultum, ut taceam nova adhuc morborum horum illorumve in dies deprehendi remedia hactenus ignota. Errant igitur et vehementer errant medici practici, qui praecoci suae peritiae eousque fidunt, ut auctorum quotidianis evolutionibus et studiis concatenatis se non indigere sibi persuadeant.

Libri, quos medicus practicus sibi comparare debet, sint selectiores, quos in succum et sanguinem convertere adlaboret, ex libris vero et ephemeridibus recens inventa sibi in hunc usum confectis libellis adnotet, ut memoriae succurrat, ipsaque scribendi, adnotandique cura intentionem legentis acuit et lectio ipsa multo fit meditator, eoque clarius res intelliguntur et menti altius imprimuntur. Hac ratione sibi copiosam rerum optimarum suppellectilem comparabit, ad omnem usum, quum res et necessitas postulabit, magnopere profuturam, egregium inde habebit thesaurum, quem variis in casibus poterit consulere. Assiduo studio historias et observationes medicorum volvere atque revolvere convenit, quo his junior imprimis artifex instructus promptior evadat, et in curationibus suis quasi totidem archiatros collegas ac consultores habeat.

Ast possit mihi aliquis objicere, unde practico Medico tantum temporis a visitatione aegrotorum superest, ut haec omnia praestare possit? Huic ego: Constitutus rerum agendarum ordo multum contribuit ad

haec exsequenda, et qui justo ordine omnia adgreditur, unius anni spatio plus perficiet, quam alii, qui neglecto ordine multis annis talia vix exsequuntur.

III.

De officiis medici erga aegrotos.

Quae medico practico incumbunt officia erga aegros observanda, iterum sunt varia: nonnulla aegrorum visitationem concernunt et tractandi modum, nonnulla ad diversum morbi statum pertinent.

In visitandis aegris semel susceptis medicus sit diligens, cum dimidium curae in frequenti visitatione consistat. Praesentia enim medici, praecipue in morbis acutis, frequentior requiritur, ubi mutationes variae varium morbi exitum praedicunt. Ex aliorum relationibus nunquam aut rarissime accuratam morbi aegrique constitutionem percipere possumus, plerumque enim, quae summe necessaria sunt, omittuntur, aut longe alia ratione referuntur, simul etiam medicamenti utendi modus nonnunquam frequentiore medici praesentiam postulat, ut nempe eos, qui in defectu peccant, ad assumenda medicamina excitet, omnia ad arbitrium suum disponat, et si morem gerere detrectant, illorum impatientiam reprehendat. Audiatur Hippocrates, qui dicit: *Ingressu utere frequenter, visita diligentius, his, quae a deceptis per errorem fiunt,*

occurrens, ut mutantur. Facilius enim cognosces, simulque expeditior eris.

Tempus visitationis recte impendatur, exquirendis et sciscitandis nempe omnibus, quae ad morbi firmam diagnosim quidquam conferre possunt. In adfectionibus localibus medicus visu aut tactu se reddat certior, dietam necessariam ordinet, nihilque omittat, quod praescriptionem atque usum remediorum spectat; hic enim est scopus visitationum ejusmodi primarius.

Nihil vero obstat, quo minus medicus loco et tempore idoneo de aliis quoque rebus penes infirmos, vel cum his, vel cum assidentibus verba faciat, sicque non medica tantum arte, sed amica quoque conversatione eos sibi devincat, id solum ubique est respiciendum, an aegri vires, vel animus ejusmodi colloquia ferant. Argumentum autem colloquii sit gratum, aegri conditioni et moribus congruum. Alia sanè ratione cum philosopho est disserendum, alia cum aulico, cum erudito, alia cum villico. In genere sint sermones sapientes, graves ac modesti, qui animum aegri nullo modo commoveant. Modesta tamen festivitas tum vultus, tum sermonis medici non raro animum et spem infirmi et adstantium erigunt, imo nec sales et facetiae, maxime rariores et opportunae, sub sagaci circumstantiarum discrimine e colloquio excluduntur, modo nihil obscoeni involvant. His vero praeceptis affabilitatem et sermones medici concernentibus minime repug-

nat taciturnitas, quae sanctissimis medici practici officii est adnumeranda, et quam Hippocrates *jusjur. t. 3. de medic. t. 1. et de dec. orn. t. 2.* summopere commendat. Medico datur frequens occasio eorum, qui ejus auxilio utuntur, res domesticas cognoscendi, saepe eas in longe pejore fortunae conditione, ac vulgo creditur, constitutas videt, multorum, qui ejus curae salutem suam crediderunt, familiaritate gaudet intima. Hinc sanctissimum ejus erit officium, non ea tantum silere et tanquam arcana celare, quae penes aegros, seu inter curandum animadvertit, sed etiam, quae in communi hominum vita cognovit, et in aedibus hinc inde observavit. Praecipue hoc necessarium in cura feminarum, ubi certae valetudinis circumstantiae occurrunt, quas quaevis cautione, huic sexui propria, sedulo celare studet, et non raro silentium harum circumstantiarum maximi est momenti, respectu futurae fortunae et aliorum commodorum. Morbos vero secretos perinde ac confessarius silere tenetur, quum aeger medicum valetudinis suae intimum selegit consiliarium et amicum. In hanc rem *Siracides cap. 27.* scribit: *Qui revelat arcana, amittit fidem.*

In regimine et diaeta ordinanda, ubi necessitas id postulat, medicus sit severus et accuratus. Ea animi praesentia et gravitate polleat, qua desiderii languentium minus proficuis contradicere audeat, et si forte se nesciente noxium vel intempestivum aliquid assumerint aut commiserint, hanc inobedientiam mol-

titienique eorum blande increpet, periculum commissorum exponat, et ad obtemperandum emendandosque ac vitandos posthac errores illos adhortetur. Decet tamen medicum prudentem scire, quando, quomodo et quantum indulgendum, si nimirum nulla aut levis hinc secutura videatur offensio, quae per aegri in ceteris obedientiam facile corrigi potest, disideriis illius quidquam connivere potest, ne ob nimiam medici severitatem aeger induceretur, clam committere errores diaeteticos, quorum sequelas medicus deinde ipsi morbo adscriberet, sicque verum morbi decursum et statum aegri ignoraret. Praestat igitur, ea infirmis praecipere, quae, licet non sint optima, tamen optime executioni dantur. In agendo praeterea medicus ne sit nimis mutabilis, nec tamen pertinax priori medelae et de hac formatis conceptibus et remediis insistat, utrumque enim damno est aegro. Multi nimirum morbi eorumque causae tanta saepe sunt pertinacia, ut remediis solummodo longius continuatis cedant et secundum Galenum 1. de dieb. erit. cap. 2. nihil est, quod sanitatem plus impediat, quam crebra remediorum mutatio. Morbi autem diuturnitas, causarum varietas, symptomata supervenientia non raro jubent, medelam mutare, quod, ubi necessarium videtur, cito et caute simul fiat, ne occasione neglecta auxilium reddatur frustraneum, nec morbi decursus nimia medicaminum copia turbetur. Haud raro medicus aegris morbo praecipue chronico laborantibus, si diutius

eadem remedia continuat, morbum vilipendere ejusque curationem procrastinare aut negligere videtur, hinc apud ejusmodi aegros juvabit subinde saltem formam medicaminis mutare *).

Aliud medici practici officium maxime saepe momenti continetur in statuenda prognosi, quae in psychicas ac politicas aegrorum, cognatorum aliorumve, nec non medentis ipsius rationes redundat. Si a medico triste profertur penes adstantes praesagium eum in finem, ut, si aeger moriatur, erroris suspensionem a se removeat, sin convalescat, sostrum augeat, turpiter homines fallit et decipit. *Histrionis quippe est, ait Celsus, cap. 26. parvam rem attollere, quo plus praestitisse videatur.* Et sicut nec mors aegrorum medico semper in opprobrium converti debet, sic nec sanitas superveniens eidem ubique fert laudem, ubi scilicet pronunciata morte aeger nihilominus reconvalescit, vel si diuturnum morbum praedixit, qui brevi terminatur.

Ideo tamen neque levior affectus parvi faciendus, cum morborum multi sub initio mites compareant, qui, nisi iis statim adhibeantur adaequata remedia, mox ad interitum usque infirmorum ingravescent, et nonnulli adeo dolosi et mali moris existant, ut primo mitiores visi, serius demum ferociam suam prodant et

*) Institutiones generales ad praxin clinicam auctore Jo. Nep. Nob. a Raimann edit. lat. §. 155.

veloci satis impetu aegros rapiant. — Quibus accedit, quod, si medicus decumbenti persuadeat, morbum minorem esse, ille hujus praeceptis minus obtemperabit, cum sui exitio et medici ignominia, in quem culpa postmodum rejicitur, adnotante *Galeno in Hipp. 6. epid. comm. 2. t. 46.* dum hic vel morbum ignorasse vel fefelisse censetur.

In genere vero medicus in prognostico pronuntiando (in salute et morte praecipue decernenda) haud praeceptus, sed ambiguus et in promissionibus moderatus sit, nisi fors certissima et omnino infallibilia suppetant indicia. Hinc etiam illorum est vituperanda temeritas, qui data fide, imo jurejurando quoque sanitatem pollicentur, et reconvalescentiae diem et horam determinare audent, quum multi errores possint accidere, aut alius morbus cum novis symptomatibus supervenire, quibus spes fallitur, et quum commutatio a sanitate ad mortem multo sit facilior, quam a morte ad salutem.

Quodsi tamen exploratum compertumque habet, aegrum moriturum, viri boni muneris erit, de morte metuenda saltem cognatos commonefacere, et periculum tempestive satis exponere, ut rebus suis (sacris et politicis) aeger adhucdum prospicere queat. Multum certe amarities ejusmodi praesagii terrifici lenietur, si infirmus non per medicum, sed potius per amicos, cognatos et adstantes de imminente mortis periculo admonetur. Id semper fieri debet cautissime, et

cum prudentia quadam leni, non tam mortem ipsam et certam, quam potius periculum et statum morbi anticipitem aegrotanti exponendo. Medico humano, qui facile movetur, certe nihil potest esse molestius ac magis ingratum, quam triste ejusmodi proferre nuntium, sed postulat id religio, postulat id justitia. Neque medicus aegrum, quem non convalescere credit, quasi morti adjudicatum omnino relinquat, sed memor illius :

Non est in medico, semper relevetur ut aeger,
Interdum docta plus valet arte malum

omnem suam curam convertat ad miseras illius saltem mitigandas, et ut vita, quousque licet, magis magisque extendatur. Sic neque devicto feliciter morbo cura jam finita, sed etiam convalescentia rite est dirigenda. Residua adhuc aegri dispositio a morbo vel in eundem vel in alium morbum penitus delenda et processus vitalis a morbo languidus in pristinum vigorem restituendus erit. Sunt nonnunquam avarorum aegrotorum nonnulli, qui statim quadantenus a morbo liberati medico sostrum mittant, ne crebriore visitatione id quoque crescat. Ejusmodi una alterave vice adhuc visitandi sunt, ne sibi persuadeant, solummodo pecuniae causa medicum accessisse, observet tamen medicus modum, ne videatur sosti causa visitationes repetere, propterea quoque sub ingressu veniam accessus pre-

cari potest *). Tempore morborum epidemicorum, contagiosorum imminentium vel jam praesentium nihil non agat ad sanitatem incolarum sartam tectam conservandam. In hunc finem sedulo invigilet, ut publica decreta sanitatem concernentia debite observentur, ut aëris vitia, aliaque contagii receptacula, quantum fieri potest, emendentur.

Nam contagiosorum morborum praeservatio eo magis est necessaria, quo certius a levi eorum contagio vel unica contagii causa relictæ et neglectæ, perniciosissimus morbus per totam provinciam, urbem cum insigni incolarum strage se defundere posset. Quam salutaris rei publicæ matura contagii eversio et talium causarum occasionalium evitatio sit necessaria, Hippocrates **) non solum in avertenda a tota Græcia peste, sed et Lancisius ***) in avertendis morbis contagiosis, in emendanda nativæ Romæ insalubritate praeclare monstrarunt.

Restat adhuc illa commemorare officia, quæ medicus in sostro ab aegris accipiendis observanda habet.

Sua cuique merces vetus est proverbium, hinc etiam medicus practicus pro laboribus suis præmio eo magis est dignus, quo majora sunt commoda, quæ aegro adfert, quo præstantius est laborum suorum ob-

*) Friderici Hoffmanni Medicus Politicus.

**) De Contagiis.

***) De nativæ et adventitiæ coeli Romani qualitate.

jectum, agitur enim de valetudine recuperanda et vita conservanda; qua nihil hominibus potest esse carius. Cognitionibus et scientiis sibi ad praxim necessariis comparandis magnam vitae partem consecravit, multum sudavit et alsit, in illis combibendis magnam quoque, nisi omnem, bonorum suorum partem consumsit; hinc nemo, nisi iniquissimus rerum iudex ei mercedem meritam negare poterit. Medicus igitur sostrum, sive muneris sive debiti nomine offeratur promte, neque cum pudore accipiat, prudentia vero suadet ingratos nequaquam debiti admonere, conciliat enim ei odium paritque contemptum. *Rod. a Castro L. 3. c. 21. p. 189* ait: *Si sanitati restitutus est patiens, et dat beneficium, accipiat medicus, si nil dat, non magni refert certe nec exigat, nec in iudicium vocet.* Pauperibus medicus gratis, benevolo tamen animo, ferat auxilium, neque eorum praemia, quamvis exilia, spernat, non enim pecunia sed salus aegroti primaria medici sit intentio. Dedecet vero, medicum de mercede cum aegro pacisci, quia facile ignominiae labem incurrit, si effectus promissis non respondet, injustum autem et medico i. genuo sane indignum est, curationem lucri majoris causa prolongare, aut maiorem, quam par est, mercedem extorquere.

IV.

De officiis medici erga collegas.

In morbis gravioribus plerumque aegri aut eorum cognati praeter medicum, qui morbi curationem suscepit, alios quoque medicos in consilium vocare solent. Quod si fit, medicus aegrum tractans nequaquam abnuat vel detrectet consultationes cum aliis, unus enim non videt omnia, upius mens omnium negotiorum non capax est, nec omnia sua scientia complecti potest; pauca unus videt et audit, multa vero plures.

Culmen humanae sapientiae attingit ille, qui sapientiam suam suspectam habet, sibi que persuadet, alieno se opus habere consilio.

Imo, notante J. C. Claudino, hoc solo consultandi munere a doctis medicis indocti discernuntur, illorum ingenia ac doctrina omnibus palam fiunt, imperitia autem eorum, qui pro doctis se gerunt atque habentur, detegitur. Atque si, quae a majoribus, vel sub praeceptorum, vel observationum et historiarum, vel consiliorum nomine tradita, medicis non tantum initiatis, sed in arte quoque perfectis ac expertis, in consilium adhibere valde necessarium et proficuum est, si casus nobis obvenientes ad casus, literis antecessorum consignatos, metiri jubemur et quotidie solemus: cur unius alteriusve Collegae et consultoris vivi consortium tantum abhorremus, a quo non minus lucis

rebus cognoscendis et faciendis consequi datur? Est autem cujusvis medici, qui in consilium adhibetur, ut absque omni partium studio, candide sententiam suam quoad morbi diagnosis, prognosin et therapiam proferat, collegae formulas praescriptas, dicta et facta coram aegro aut adstantibus non iniqua perstringat censura; sed, si in qua re peccatum fuerit, privatim eum hac de re absque omni animi acerbitate et arrogantiae suspicione commoneat. Turpissime vero agunt et pessimae animi indolis sunt medici, qui alios conviciis adficiunt, contra ipsos variis fraudulentis machinationibus conspirant, illorum famam malevole laedunt, dolosam invidiam exercent, eorum remedia vellicant, ignorantiae eos insimulant. Praecipue juvenibus medicis practicis, si cum senioribus in concionem vocantur, convenit, ut cum modestia quadam erga illos se gerant, neque iis se plus sapere temere sibi persuadeant *). Seniores vero et celebriores, si cum junioribus et minoris adhuc famae concurrunt, verbis suis velut ab oraculo productis ne nimis confidant, neque medelam ab iis institutam mordici reprehendant.

Speculationes mere theoreticae, quae in praxim nullum aut exiguum exserunt influxum, tanquam ad rem non pertinentes, in consultationibus sunt evitan-

*) D. John Gregory Vorlesungen über die Pflichten und Eigenschaften eines Arztes. Aus dem Englischen S. 56.

^dae. Si medici diversis medicinae systematibus addicti in consilium congregiuntur, memores sint hic de re non de verbis agi.

Minime vero in ejusmodi medicis consultationibus frivolae ostentationis gratia litigandum et tempus jurgiis consumendum, quod maximam interim aegro parit molestiam et fastidium, timorem incutit, ejusque animum magis, quam morbus, perturbat. Salus aegroti suprema lex esto. Hic scopus sit Medici, huc omnis mentis vigor, huc omnis cura cogitationesque dirigendae.



1944. The following is a list of the names of the persons who were present at the meeting held on the 19th day of April, 1944, at the residence of the late Mrs. J. H. ...

The following is a list of the names of the persons who were present at the meeting held on the 19th day of April, 1944, at the residence of the late Mrs. J. H. ...

The following is a list of the names of the persons who were present at the meeting held on the 19th day of April, 1944, at the residence of the late Mrs. J. H. ...

The following is a list of the names of the persons who were present at the meeting held on the 19th day of April, 1944, at the residence of the late Mrs. J. H. ...

Theses defendendae.

I.

Luxus immodicus generis humani pestis et plurimorum morborum parens.

II.

Mutata terrae facies et multiplex populorum commercium novos procreavit morbos.

III.

Medicina, proh dolor! ea caret certitudine apodictica, qua plures aliae humanarum scientiarum species gaudent.

IV.

Grassante per populum morbo quodam maligno et atroci, de cujus contagiositate adhuc sub iudice lis est, humano generi debetur, hunc qua contagiosum tractare.

V.

Theoria absque experientia vana, experientia absque theoria coeca.

VI.

Morbi hominibus sunt coeui.

VII.

Cave, ne, dum nihil agendo agis, nihil agere videaris.

VIII.

Morbi non ratione nominis sed naturae sunt curandi.

IX.

Captatio curiosorum non ultimam sistit causam tardi medicinae progressus.

X.

In aegris tractandis neque festina neque cunctare; utrumque enim periculosum.

XI.

Schola medico practica Viennensis hactenus Medicinae Hippocraticae dici potest conservatrix.

XII.

Nimiam et coecam venerationem doctrinarum antiquarum medicinae plus nocuisse, quam profuisse, historia testatur.